GOURRAIGNE
G1530/P

SPECIMEN DE FEBRIBUS

JUXTA CIRCULATIONIS LEGES.

Ubì rejectâ ſanguinis fermentorum, & fermentationis ſuppoſitione, ſolidorum ſyſtematis veritas demonſtratur in Theoriâ, & in praxi.

MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Typographum Regis.

M. DCCXXV.

GOURRAIGNE, H.
C

318332

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

SPECIMEN
DE FEBRIBUS
JUXTA CIRCULATIONIS LEGES.

Ubì rejectâ Sanguinis fermentorum, & fermentationis ſuppoſitione, ſolidorum ſyſtematis veritas demonſtratur in Theoriâ & in praxi.

JAM in lucem prodiiſſet, B. L. Tractatus de Febribus, niſi operæ pretium eſſe duxiſſem, quoddam præmittere ſpecimen totius operis œconomiam, & theoriam compendioſè complectens: Hæc eò tibi gratiora fore, confidimus, quò Sanguinis fermentorum, & fermentationis rejectâ ſuppoſitione, ex ſolis, & inconcuſſis circulationis legibus, quæcumque ad Febres pertinent, deducimus; ſi quid autem ab arte alienum tibi occurrerit, nos quæſo errati admonere, ne dedigneris.

In duas partes hunc tractatum dividemus: in primâ agemus de Febribus in genere, in ſecundâ de Febribus in particulari. 1a. Pars decem capita complectetur: Primum erit de Febrîs naturâ. Secundum de differentiis Febrium. Tertium de cauſâ proxima Febrium. Quartum de cæteris Fe-

brium cauſis. Quintum de cauſis durationis, & ceſſationis Febrium. Sextum de cauſis exacerbationum, & paroxiſmorum. Septimum de Symptomatis Febrium. Octavum de Febrium diagnoſi. Nonum de Febrium prognoſi. Decimum de generali Febrium curatione.

Pars ſecundâ in tres ſectiones dividetur. 1ª. Erit de Febribus continuis ſimplicibus & compoſitis. 2ª. De Febribus continuis accidentalibus. 3ª. De Febribus intermitentibus. Quælibet ſectio varia capita continebit, in primâ Primum caput erit de naturâ, & ſymptomatis Febrium continuarum ſimplicium, & compoſitarum. Secundum de illarum Febrium cauſis. Tertium de earum diagnoſi, & prognoſi. Quartum de earumdem Febrium curatione.

In ſecundâ ſectione tractabimus 1°. De Febribus malignis. 2°. De Febre ardente. 3°. De Febre lipyriâ. 4°. De Febre epialâ. 5°. De Febre aſſode. 6°. De Febre elode. 7°. De Febre ſyncopali. 8°. De Febre colliquativâ. 9°. De Febre lentâ & hecticâ. 10. De Febribus peſtilentialibus, & peſte. 11°. De Variolis & Morbillis. 12°. De cæteris gravibus ſymptomatis, quæ Febres continuas concomitantur, aut ſubſequuntur.

In tertiâ ſectione diſſeremus. 1°. De naturâ Febrium intermittentium ſimplicium & compoſitarum. 2°. De illarum cauſis, & ſymptomatis. 3°. De earum diagnoſi, & prognoſi. 4°. De earumdem curatione. 5°. De Febribus malignis intermitentibus. 6°. De cæteris gravibus ſymptomatis, quæ Febres intermitentes concomitantur, aut ſubſequuntur.

Ex partibus ſolidis, & liquidis tota componitur corporis humani machina: ſolida hæc cava ſunt, ſed humoribus ſemper turgida, illa ſolida, flexilia ſunt liquoribus appellentibus facilè cedunt; cum illâ flexilitate rigiditatem habent, cum fuerint dilatata, ea conſtringi neceſſum eſt: atqui conſtringi non poſſunt, quin humores quos continent ulterius propellant ex arteriis per appenſas venas in Cor: quod circulare eſt, majori vel minori velocitate, prout major, vel minor eſt vaſorum elatèr, & prout ſpatium, quod humores percurrunt longius eſt, vel brevius; id eſt à

corde, quod tamquam humorum primum mobile ſpectatur, plùs, vel minùs remotum.

Ex iis facile intelligitur. 1°. Liquida agere in ſolida, quatenùs illa dilatant, & à ſolidis liquida agi, dum ſeſe contrahunt. 2°. Ut debitè fiat humorum circuitus, debere ſolida, & liquida ſeſe æquilibrare. 3°. Humorum motum multo velociorem eſſe propè cor, & in magnis vaſis, quam in partibus à corde remotioribus, & in vaſorum capillamentis. Iis ità prælibatis, Febrium ætiologiam exponere, arduum non erit.

Febris eſt ille præternaturalis corporis ſtatus, in quo pulſus eſt frequens, cùm notabili functionum læſione.

Ex Febribus, aliæ ſunt continuæ, aliæ intermittentes; illæ continuo & indeſinenter, iſtæ per intervalla ægrum affligunt, uſque ad morbi finem; utræque varia ſortiuntur nomina pro tempore, quo durant, pro intervallis, quibus exacerbationes, vel paroxiſmi recurrunt, pro ſymptomatum numero, & vehementiâ, pro ratione cauſæ, anni tempeſtate, &c.

In calore, à corde tamquam ab uberrimo fonte in omnes corporis partes diffuſo, febrîs eſſentiam ponebant veteres medici. Abdicatis veterum qualitatibus, febrîs cauſa proxima dicta fuit præternaturalis ſanguinis fermentatio, quæ tam altè in medicorum animos jàm ſerpſerat, ut qui primi repudium illi dixerunt, aut ignorantiâ, aut malâ fide in Medecinâ damnarentur; Corruit tandem maleſana hæc obtrectantium vaniloquentia. De ſanguinis fermentatione jam nulla mentio fit in libris, & in ſcholis medicorum; itàque in illâ refellendâ tempus inſumere ſupervacaneum eſſet; alia datur via in æthiologiâ morborum exponendâ, principiis certis ſuffulta, & in illis curandis tutior.

Cauſa proxima febrîs eſt præpeditus ſanguinis circuitus in extremis vaſorum ſanguineorum capillamentis. Quis in febre ſtagnare ſanguinem in extremis capillamentis vaſorum ſanguineorum, aut per illa multò minùs fluere,

negaverit? ad id natæ eſſe videntur omnes febrium cauſæ tùm internæ, tùm externæ, ex illâ ſanguinis herentiâ immediatè dependent, quæ febres comitantur, aut ſubſequuntur ſymptomata.

Præpeditur ſanguinis circuitus, ex vitio ſolidorum, vel liquidorum, aut utrorumque defectu.

Ex parte ſolidorum, ſi nimiùm conſtringantur, vel comprimantur, aut laxentur. 1°. Si ab aëre ſicco, æſtuante, liquoribus ardentibus, cibis acribus, ſulphureis, tumultuariis, exercitiis immodicis, venere nimiâ, vehementioribus animi pathematis, purgantibus mochlicis, aliiſque remediis nimiùm calidis, ut cauteriis, &c. ſolida exſiccentur, irritentur, vellicentur; ea criſpari, & corrugari, conſequens eſt; hinc ſpaſmodica ſolidorum diateſis quâ ſanguinis motus retardatur maximè in extremis vaſorum capillamentis, ubì naturaliter languet illius circuitus.

2°. Si vaſa imprimìs capillaria à fractis, luxatis, diſtractiſque partibus duris, tumoribus, cæteriſque id genus cauſis, tùm internis, tùm externis comprimantur; cùm ſanguis continuò appellens ultrà tunc non liberè progrediatur in capillamentorum extremis hæret.

3°. Si vaſa laxentur, ut contingit iis qui in aëre humido, nubiloſo, paluſtri vitam degunt, qui cibis humidioribus veſcuntur, qui vitam ſedentariam agunt, vel ſomno plùs quàm par eſt indulgent, aut balneo frequentiori utuntur: Cùm variis iis-ce cauſis remolleſcant ſolida, flacceſcant vaſa maximè capillaria, ſanguini propellendo imparia ſunt, undè præpeditur illius circuitus.

Ex vitio liquidorum. 1°. Si ſubitò creſcit ſanguinis moles, ut advenit ex ſupreſſis evacuationibus conſuetis, catameniis, hæmorrhoidibus, tranſpiratione, &c. tandem à præviâ alimentorum ingurgitatione: tunc vaſa capillaria ut potè flexiliora ultrà modum dilatata, languidè contrahuntur, & in illis retardatur ſanguinis curſus.

2°. Si humores craſſeſcant nimìs, ab abuſu alimentorum craſſorum, viſcidorum, coctu difficilium, vinis auſteris, &

acidis, ab alimentorum in primis viis vitiatâ coctione, unde chilus craſſus & viſcidus, cujus naturam redolens ex eo oriundus ſanguis, vaſorum imprimis capillarium ictibus non obſequitur, vaſa hæc obturantur, advenientis ſanguinis curſus impeditur, & febris excitatur.

3°. Si rerum calidarum piperatarum, volatiliorum frequentiori uſu, æſtu, exercitiis immodicis, &c. Sanguis ultrà modum rareſcat, vaſa in quibus continetur validè diſtendit, capillaria ultrà tonum feruntur, parùm, & languidè reſtituuntur, defectu vibrationis torpeſcit ſanguis, illius que motus progreſſivus lenteſcit.

4°. Tandem præpediri poteſt ſanguinis circuitùs in extremis vaſorum ſanguineorum capillamentis, ſi ſolida, ſimul, & liquida vitientur, & eò etiam faciliùs quò magis neceſſaria eſt ſolida inter & liquida, debita proportio, ut ſanguinis circuitus ritè perficiatur.

Quænam ſit cauſa proxima febrîs, jam demonſtratum eſt ex cauſarum theoriâ; ex eâdemet cauſâ immediatè dependent variæ febrîs ſpecies, & varia quæ febres concomitantur, aut ſubſequuntur ſymptomata.

Qui in extremis vaſorum ſanguineorum capillamentis ſtagnat ſanguis, de novo advenientis curſum præpedit, hunc ultrà non progredientem intrà arterias cumulari neceſſum eſt, hæ ultrà modum diſtentæ, debiliter reſtituuntur, quem ſanguinem continent, eum languidè & parvâ copiâ verſus cor propellunt: corde parùm dilatato, debilis eſt illius contractio, ſanguis ex corde in arterias minimâ vi influit, eas parum dilatat, debiliter etiam contrahuntur, hinc pulſus parvus. In Febre obſtructa ſunt extrema vaſorum ſanguineorum capillamenta, & in illis præpeditur ſanguinis circuitus, per vaſa ergò collateralia ut potè minùs obſtructa, quia à corde minùs remota ſunt, ſanguis ad cor redire tenetur: tunc ſanguis minùs ſpatium percurrit, ſæpiùs & frequentiùs cordis ventriculos ingreditur, cor proindè debet frequentiùs dilatari & contrahi. At non tantùm arteriarum dilatatio, contractioni cordis reſpondet,

ſed & etiam frequens illarum dilatatio, frequenti cordis contractioni, pulſus ergò parvus tùm debet eſſe frequens.

Cor non ſolùm frequenter recipit ſanguinem, quià ſanguis brevius iter percurrit, ſed quia tunc vaſa multò magis quam par eſt dilatata, frequentiùs contrahuntur. Arteriæ vi ſuæ contractionis, quo dilatatæ ſunt, ſanguinem propellunt in venas verſùs cor majori vel minori quantitate, citiùs aut tardiùs prout illorum contractio, eſt major, vel minor, celerior vel tardior. Sanguis ex arteriis parvâ copiâ detruditur verſùs cor, vaſa ſanguinea, quo tument ſanguine in totum non ſeſe liberant, languida enim, & debilis eſt arteriarum contractio; nondùm ergò finitâ unâ vaſorum contractione, cùm cauſa dilatans nempè ſanguis, ſemper præſens ſit, nova debet fieri dilatatio, ſucceſſiva contractio: ſanguinis motus verſùs cor multùm adjuvatur à contractione arteriarum; cor ergò eò frequentiùs debet dilatari & contrahi, quò frequentiùs arteriæ ſeſe contrahunt. Cur pulſus parvus eſt plùs, vel minùs frequens; ex dictis facilè intelligitur.

Calent partes in corpore viventi à mutuis, quibus ſolida, & liquida inter ſe aguntur, ictibus: ſi à præpedito ſanguinis circuitu in extremis vaſorum ſanguineorum, ità infarciantur vaſa ſanguinea, ut ægrè ſeſe reſtituant, & debiliter oſcillent, humores torpeſcere, partes plùs vel minùs refrigeſcere, horrore corripi, tremoribus concuti, conſequens eſt; quod obſervatur in Febrium intermittentium & exacerbationum principio.

Si ab eodem infarctu partes aggraventur, ſuperveniunt laſſitudines ſpontaneæ, jactationes, anxietates, reſpiratio parva, difficilis, & laborioſa, inflammationes, hæmorrhagiæ, affectus comatoſi, deliria, partium internarum ardor, externarum frigus, ſincopes: hinc tandem cita mors venit: hìc imaginem habes Febrium non ſolum intermittentium, ſed etiam malignarum, lypiriæ, epialæ, ſincopalis, & ipſius peſtîs characterem.

Quandiù durat frigus in corpore, debilis quidem, ſed

nondùm deperdita eſt vaſorum oſcillatio, continuis illorum ictibus, quo infarciuntur, ſanguis atteritur, iteratâ illâ contractione, ſanguis in venas liberiùs fluit; vaſa ultrà modum non diſtenta majori vi jam ſeſe reſtituunt, validiùs que oſcillant plùs, vel minùs, proùt plùs vel minùs adhuc infarcta ſunt: hìnc calor qui major, vel minor futurus eſt pro validiori, vel debiliori arteriarum oſcillatione.

Adauctâ vaſorum vi ſiſtalticâ, ſanguis majori quantitate, & impetu in cordis ventriculos refluit, cordis ergo dilatatio, ac proinde & illius contractio major futura eſt: ſanguis & in majori quantitate, & cum majori impetu in arterias truditur; hìnc pulſus è parvo fit magnus.

Ab infarctu nondùm omninò libera ſunt vaſa capillaria imprimìs quæ ſunt à corde remotiora. 1°. Quià à corde nimis diſtant. 2°. Quià cauſæ antecedentes infarctûs, ut ſunt vitia in ſolidis, vel in liquidis, aut in utriſque adhùc perſeverant; ſanguis ergò per capillaria cordi viciniora liberiùs adhuc fluit, citiùs & frequentiùs ad cor redit, & eò celeriùs, quò vi maximâ tunc propellitur, frequentiùs cor dilatatur, & contrahitur; ac proindè pulſus fit major, & frequentior: cur ſit plùs vel minùs validus &c facilè patebit.

Ab adaucto motu, quo durante calore agitur ſanguis, partes illius tenuiores avolant, aqueæ fugantur, remanent partes illius craſſiores, quæ validis vaſorum ictibus compactæ fiunt, ut videre eſt in Febribus inflammatoriis: tunc vaſa ſecretoria tenduntur nimìs, ſanguis cujus partes omnes confunduntur, colorum oſcula celeriùs præterfluit, nulla, vel minima fit humorum ſecretio, linguæ, & palati fibræ humoris, quo humefiebant, defectu, tenduntur, rigeſcunt, præter naturam oſcillant vaſa, ex quibus illæ partes texuntur, hinc ſitis plùs vel minùs intenſa pro majori, vel minori illarum-ce Fibrarum ariditate: cur lingua areſcat, varios colores contrahat? Sputa ceſſent? Siſtantur menſes? Ceteræque evacuationes? Cur tandem

urina, cæteriquе humores conſiſtentiam, & colores mutent? A validâ vi, quâ, durante calore, ſanguis concutitur, & everberatur, facilè deduces.

A validâ, quæ, in Febribus, caloris tempore, viget arteriarum oſcillatione, ſanguis tumultuariè progreditur, in illas magis, in iſtas ſæpiùs, tandem in omnes corporis partes indiſcriminatìm irruit, illorùm vaſa ingurgitat, in illis ſtagnat, & decumbit: quanta exindè, & gravia mala imminent, quis non viderit?

1°. Si ſanguis ad cerebrum cum impetu, & maximâ quantitate prorumpat, vaſa illius ſanguine citò turgent, fibræ nerveæ ultra modum tenſæ, facilè ſuccutiuntur, motiones ab objectis in ſenſibus externis factæ, ad animæ ſedem faciliùs propagantur, continuò in cerebro excitantur, aut excitari poſſunt ideæ, hinc vigiliæ.

Si accreſcat ille cerebri infarctus, fibras nerveas validiùs ſuccuti conſequens eſt, variæ & inconſonæ ideæ ſeſe animæ ſiſtunt, hinc delirium.

At ſi magis, atque magis increſcat ille cerebri infarctus, ità validè comprimuntur fibræ nerveæ, ut ſeſe reſtituere penès ipſas non ſit, defficiente illarum vibratione, impreſſiones factæ in ſenſibus externis uſque ad animæ ſedem non transferuntur, nullæ ideæ ſuſcitantur, ferientur tandem ſenſus, & conſequuntur affectus ſoporoſi graviſſimi.

Sicuti partes carneæ à ſanguine, ita & partes membranoſæ, & nerveæ à Lymphâ nervali, quibus irrorantur, ſuam tenſionem habent. Ab æquali horum-ce humorum diſtributione omnes & ſingulæ partes inter ſe ſervant æquilibrium. Si ergò in febribus ità verſùs cerebrum ſanguis propellatur, ut illus vaſa inæqualiter infarciantur, debent exindè Nervi qui ab illo viſcere originem ducunt plùs vel minùs comprimi, ex inæquali illâ nervorum compreſſione, Lympha nervalis debet inæqualiter fluere in nervos, & partes membranaceas; iſta inæqualiter tendi; ſed cùm partes ſint in æquilibrio

dùm ſunt in ſtatu ſano, debet tunc illud æquilibrium perturbari, partes aliæ plùs, aliæ minùs tendi, undè motus convulſivi, & partium tremor.

Tandem ſi meningum vaſa, inæqualiter ingurgitantur illarum-ce membranarum fibræ, inæqualiter diſtenduntur, & divelluntur undè varius capitis dolor.

2°. Si ſanguis in pulmones irruat, vaſa illorum infarciuntur, hæc, veſiculas pulmonales, circa quas pereptant, comprimunt, illorum expanſionem præpediunt, hìnc difficilis in eaſdem veſiculas aëris ingreſſus, hìnc reſpiratio magna, vel parva, frequens, vel rara, plùs, vel minùs laborioſa, hinc tandem variæ pulmonum inflammationes.

3°. Ab inæquali oſcillatione vaſorum, quibus contexitur ventriculus, dependet ſenſatio famîs; fit autem hæc inæqualis oſcillatio ab inæquali horum-ce vaſorum infarctu; infarciuntur inæqualiter, quia inæqualiter rugis, & plicis ventriculi comprimuntur. Aſt durante calore, & imprimìs ſi ſanguis ad ventriculum magis, quàm ad cæteras partes deferatur, omnia hujuſce viſceris vaſa indiſcriminatim infarciuntur, rugæ illius delentur, aut maximè imminuuntur, ventriculi vaſa; Etſi præternaturaliter, tamèn æqualiter omnia, aut ſaltem motu penitùs diverſo aguntur, hinc nulla ſenſatio famîs, ac proindè inapetentia.

A tali infarctu non raró maximè diſtenduntur ventriculi fibræ, phlogoſis imminet, fiunt valdè ſenſiles, levi de cauſâ irritantur, irritatæ in conſenſum trahunt muſculos diaphragmatis, & abdominis, fit vomitus, ſi materiæ in ventriculo contentæ per os foràs amandantur; nauſea veró, ſi pro illis materiebus expellendis, inanes tantum, & irriti conatus edantur, ſi veró liberum, & patulum ſit utrumque ventriculi orificium *anò & catò* contenta foràs propelluntur, adeſt cholera morbus.

Sanguine nimiùm ingurgitatis inteſtinorum vaſis, illorum fibræ tunc ultrà modum tenſæ, maximè ſenſiles ſunt, materiebus, ſi quæ ſint, imprimis acribus, facilè irritan-

tur, acceleratur illorum motus vermicularis, quæ conti-nent citò & frequenter per anum rejiciunt, fit alvi fluxus, qui varius eſt, prò naturâ humoris, qui excernitur, & variis ſymptomatis, quibus ſtipatur, hinc diarrhea, dy-ſenteria, &c.

Summùm æſtuante ſanguine, partes illius aqueæ diſſi-pantur, ſerum, quo ſolvuntur fœces alvinæ, deſſicit, ex-ſiccatæ fœces in cymbalas abeunt, fit alvi adſtrictio, ad id non parùm concurrente tenſione nimiâ, & ariditate in-teſtinorum.

Obduratis fœcibus, aut inflammatis inteſtinis, fit obex in ipſorum aliquâ parte, excrementa ulteriùs non progre-diuntur, invertitur nativus inteſtinorum motus, fit ileus.

Unde Febris per plures horas, & dies, aliquandò per hebdomadas & annos integros ægrum afligit? Febris con-tinua exacerbationes non rarò patitur? Intermittens per in-tervalla recurrit? Utraque erraticè, vel periodicè?

A prepedito ſanguinis circuitu in extremis vaſorum ſan-guineorum capillamentis, tamquam à cauſâ proximâ & immediatâ Febris dependet, ut jam fuſè probavimus, tandiù ergò durabit Febris, quandiù eadem vaſa infarcta manebunt; ceſſabit verò, ſi remotis cauſis, tùm internis, tùm externis ab eodem infarctu eadem vaſa liberentur: liberantur autem, vel per reſolutionem, vel per evacua-tionem ſenſibilem, vel per alium morbum, vel tandem per mortem.

1°. Per reſolutionem, ſi ſanguis in extremis vaſis ſan-guineis hærens, non impactus nimìs, continuis, validis, & repetitis vaſorum ictibus ſubigatur, atteratur, & à li-quido appellente, quam opponit reſiſtentia, vincatur, tandem ſanguis liquidior factus, ſi non in totum ſaltem quòad magnam partem per inſenſilem perſpirationem fo-ràs eliminatur, imminuitur illius moles, vaſa ultrà mo-dum jam non diſtenta, pro naturâ oſcillant, reſtituitur ſanguinis circuitus & ordo, ſanguis omnes partes æquo pulſat pede, in colorum orificiis ſufficientem moram tra-

hic ſecretiones reſtaurantur, functiones debitè perficiuntur; Chilus ritè elaboratus, ſanguini ſuggeritur, æger Febre expeditus, ſanitate potitur.

2°. Per evacuationem ſenſibilem, ſi vaſa cutis tranſpiratoria nimis conſtricta, & anguſtata, humoribus peccantibus foràs eliminandis inſuficientia ſunt; humores tunc etiamſi ritè ſubacti, aliò curſum vertunt vel vomitu, vel alvo, vel urinâ, vel ſudore, non rarò diſruptis vaſis, hæmorrhagiâ; à morbo totum corpus liberatur & expeditur, hinc reſtituitur functionum integritas, ſánitas recuperatur, ut jam dictum eſt.

3°. Per alium morbum. Humores, & imprimis ſanguis ſtagnans vaſorum vi ſiſtalticâ aliquandò ità non æquè ſubigitur, ut per inſenſilem perſpirationem, aut evacuationem ſenſibilem foràs eliminetur, intra vaſa adhuc ceſpitans, in partem internam, vel externam ruit, obſtructiones parit rebelles, excreſcunt tumores, eriſipellatoſi, phlegmonodes, ſchiroſi, abſceſſus, & ulcera aliquandò incurabilia, ſuperveniunt; hinc etiam parotides, bubones, variolæ, morbilli, exanthemata, gangrenæ, ſphacelli, quæ ceſſante Febre, ut plurimùm ſuperveniunt. Quotidiè videmus Febres, quæ remediis non ceſſant, citò deſinere ex puſtulis in prolabiis: in variis illis caſibus materia à quâ pendet febris in unam partem delata, dùm ibì ſævit, reliquum corpus à febre liberat.

4°. In mortem tandem terminatur, ſi ex infarctis illis vaſis capillaribus in integrum præpediatur humorum circuitus, cor tunc ſanguinem non recipit, non dilatatur, nec contrahitur: Ceſſante motu cordis, ceſſare cæteras corporis functiones, quis ignorat?

Febris dicitur exacerbari, cum ſæviora fiunt illius ſymptomata, aut nova illi ſuperveniunt, quæ non minùs periculi portendunt: exacerbationis tempore non ceſſat febris, ſed periculoſior evadit; cauſa ergo exacerbationis eadem eſt, ac cauſa febris, ſed major & vehementior: Cauſa illa intenditur. 1° Si febris continuæ de curſu, abu-

ſus aliquis commitatur in uſu rerum non-naturalium, ſic videmus in praxi febres exacerbari ab aëre frigido ſuſcepto, juſculorum nimis pinguium uſu, animi pathematis vehementioribus, medicamentis etiam; ſed malè adhibitis &c. quorum agendi modum hìc exponere, non arduum eſſet.

2°. Febris aliquando intenditur, nullo errore commiſſo in uſu rerum non naturalium, ſed ex eo ipſo, quod ſanguis in magnis vaſis rapidè fluens, ultima capillaria facillimè infarcit, & ingurgitat, undè frigus, quod exacerbationes præcurrit. Cur illæ exacerbationes periodicæ ſunt aut erraticæ, facilè patebit, ex iis quæ nobis dicenda ſuperſunt de febrium intermittentium paroxiſmis.

Ideò ceſſat penitus febris, quia remotis omnibus cauſis tùm internis, tùm externis, functiones non ſolùm reſtituuntur, ſed omnes, & ſingulæ ritè perficiuntur; ratio ergò, cur de novo affligit febris intermittens, & ex cauſis tùm internis, tùm externis nondùm deſtructis, & ex functionibus non bene perfectis repeti debet. 1°. Cauſis nondum deſtructis, ſolida & liquida de novo facilè læduntur. 2°. Functionibus minùs benè peractis, alimenta debitè non elaborantur, humores convenienter non ſecernuntur, adaugeſcit ſanguinis moles, vitiatur illius craſis, & de novo adhæret in extremis vaſorum ſanguineorum capillamentis, ea infarcit, præpeditur humorum circuitus, & febris iterùm affligit, fit novus paroxiſmus, citiùs vel tardiùs, proùt major, vel minor abuſus commiſſus fuerit in uſu rerum non-naturalium, functiones fuerint plùs vel minùs reſtitutæ, &c.

Febîis periodicè recurrere dicitur, cum eodem die, eâdem hora ægrum de novo affligit, cauſa reditûs febrium eſt præpeditus de novo ſanguinis circuitus in extremis vaſorum ſanguineorum capillamentis, præpeditur ille ſanguinis motus ex vitio ſolidorum, vel liquidorum, vel utrorumque defectu, paroxiſmi ergò intrà idem tempus recurrunt, quia cauſæ æquâ vi agunt, & functiones eodem

modo vitiantur, equidem ex abuſu rerum non naturalium ex alimentorum ingurgitatione, imprimìs die paroxiſmi, ex ſuſcepto aëre frigido, paroxiſmus acceleratur vehementior fit aut retardatur non raró ex illarum rerum legitimo uſu.

Cùr paroxiſmi ſint erratici, exacerbationes periodicæ vel erraticæ? ex dictis facilè intelligi poteſt.

Hæc ſunt B. L. veluti fundamenta, quibus nititur theoria noſtra de febribus, quæ ſi tibi non diſpliceant, brevì dilucidiora fient.

In tractatu noſtro omnium & ſingularum febrium curationem trademus, de quâ hìc agere non eſt animus; in immenſum enim creſceret iſtud ſpecimen, febres enim non in ſe ipſis tantùm, ſed & pro ratione cauſarum oppugnandi, varia febrium ſymptomata debellandi, aut mitigandi, methodum docebimus. Te tandem monitum velim B. L. hæc omnia non ex hypoteſi deducta, ſed obſervatione ſufulta eſſe; juxta illud Celſi: *Nec poſt rationem medicinam eſſe inventam, ſed poſt inventam medecinam, rationem eſſe quæſitam.*